


DEO OPTIMO, MAX.
UNI ET TRINO,



VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè diſcutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ-quartâ Novembris 1726.

M. FRANCISCO MERY,
Doctore Medico, Præſide.

An cordis motus à durâ Meninge?

I.



MIRABILIS cordis motus. Duplex eſt Diaſtole & Syſtole; inter quos quies aliqua. Iſtius motûs cauſa, non à calore inſito, non à ſanguine. Demonſtrat avulſi cordis & exſecti in ranis & viperis, æſtate potiſſimum, ordinata pulſatio. Non ab ebullitione aut effervescentia ſanguinis

proficiſcitur; hæc etenim cruori ad extremas corporis partes ducendo & ad cor revehendo impar. Undenam igitur cordis motûs? ab inſtrumento ſpiritus animales exprimente, & in cæteras vi quadam protrudente naſcitur.

II.

COR muſculum eſſe nemo eſt qui negaverit. Suum mutuatur motum à ſpiritibus ſeu partibus tenuiſſimis & actuoſis. Duplex in hocce muſculo fibrarum ordo. Obliquæ omnes, ſed aliæ à dextra in lævam, aliæ ad dextram ſpirali ductu procedunt; Baſis ex villorum tendinibus conflatur. Ab harumce fibrarum dilatatione & contractione cordis contractio & dilatatio. A voluntatis imperio nullatenus pendent, ſed à ſolâ mechanicâ & à ſpirituum energiâ oriuntur.

III.

MEMBRANA autem dura Meninx appellata eſt inſtrumentum ſpiritus animales exprimens è cerebro, & in muſculos propellens. Iſta cor cerebri meritò nuncupari poteſt. A variis quibus conflatur fibrarum ordinibus ſyſtoles & diaſtoles motu potitur. Cerebri ſubſtantiam undequaque veſtit, hanc in duos lobos dividit, à cerebello diſtinguit, tendinoſa facta in ſpinam elongatur. In ipſius ſuperficie concavâ fibrarum lacerti in falcem deſinentes, verſuſque partem poſteriorem præprimi tendinoſi innoteſcunt. Superficiei convexæ pars inferior & tenuior baſi cranii validè affigitur; pars ſuperior rariùs & laxiùs oſſibus adhæret. In toto proinde cranio aliæ ſunt partes quibus dura Meninx tenaciſſimè, aliæ quibus minus firmiter, aliæ quibus nihil prorſus hæret.

IV.

EX iſtâ mechanice dura Meninx malè audit, quoad uſum, cerebri tegumentum. Nulli liquores, vel ſpiritus animales, de loco in alium moveri queunt, niſi impellente aliquo corpore ſolido. Dura mater cerebrum premendo, genuinus eſt ſucci nervoſi motor. Ut cor ſanguini, ita dura Meninx ſpiritibus animalibus. A ratione abſonum eſt ſpiritus animales, veluti aquam ex alambice in nervos exſtillare. Ex ſe tenuior eſt ſuccus nervoſus, ut poſſit proprio pondere deorſum ferri. Hujuſce ſecretioni & motui neceſſarium eſt aliquod corpus impellens. Hoc præſtat dura Meninx, elateris ad inſtar nunc ſeſe contrahens, nunc relaxata ordinatos ſyſtoles & diaſtoles motus edit, à quibus cerebri ſucceſſiva preſſio. Singularis eſt cordis cum dura matre conſenſio; eodem tempore pulſat utrumque. Læsâ durâ Meninge cor afficitur, non verò viciſſim. Meningis inde in cor intelligitur imperium.

V.

DURÆ Meningis itaque ſyſtole & diaſtole ſuccus nerveus exprimitur, ad cor propellitur, ut hujus muſculi motum promoveat. Proprio robore fulta dura mater ſibimetipſi ſufficit. Cor è contrà præter ſuam mechanicam plurimis indiget adminiculis, aëris ſcilicet in pulmones appulſu, valvularum in venis opportunitate, continuâ in motibus quotidianis muſculorum contractione. Hæc omnia deſunt, nec proſunt duræ Meningi. Motus iſte per totam membranæ peripheriam æqualis non arteriarum pauciorum pulſationi, ſed potius ſingulari iſtius conſtructioni & elateri tribuendus. Duræ Meningis eadem eſt ratio ac horologii, quod ſine ullo liquidi impulſu ob peculiarem rotarum, fuſorum, elateris, aliarumque partium ſolidarum ſtructuram ordinatos motus abſolvit.

Ergo cordis motus à durâ Meninge.

Domini Doctores Disputaturi.

M. Joannes Besse, Dotariæ Hispaniarum Reginæ à Consiliis, & Medicus Primarius.

M. Antonius de Jussieu, Regiæ Scientiarum Academiæ Socius, & Botanices in Horto Regio Parisiensi Professor.

M. Joannes-Baptista Silva, Serenissimi Ducis Borbonii Medicus Ordinarius.

M. Joannes-Baptista Thomas Martinenq.

M. Franciscus Pousse.

M. Thomas Bertrand.

M. Claudius Burlet, Regiæ Scientiarum Academiæ Socius, & Hispaniarum Regis olim Medicus.

M. Alexander-Petrus Mattot, Rei Herbariæ Professor.

M. Petrus-Joannes Burette, Professor Regius, & è Regiâ Numismatum Academiâ.

Proponebat Parisiis, DESIDERIUS-CLAUDIUS FREMONT, Parisinus, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. M DCCXXVI. à sextâ ad meridiem.

Typis J. QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi.